

SALUTATIO BEATE MARIE VIRGINIS [SaIBMV]

¹ Ave Domina, sancta Regina,
sancta Dei genetrix Maria,
que es virgo Ecclesia facta,

² et electa a sanctissimo Patre de celo,
quam consecravit
cum sanctissimo dilecto Filio suo
et Spiritu Sancto Paraclito,

³ in qua fuit et est
omnis plenitudo gratie
et omne bonum.

⁴ Ave palatium eius,
ave tabernaculum eius,
ave domus eius.

⁵ Ave vestimentum eius,
ave ancilla eius,
ave mater eius,

⁶ et vos omnes sancte virtutes,
que per gratiam et illuminationem Spiritus Sancti
infundimini in corda fidelium,
ut de infidelibus
fideles Deo faciatis.